

tempus Andreæ Naugerii designati ad Regem oratoris profectio. Itaque quid potissimum in re summi momenti statuendum esset<sup>1</sup>, quærebatur; irruptionemne in Hispaniam Galliæ Rex moliretur, an eas vires, quibus aggredi Hispanias statuerat, in Italiam verteret, Aloysio Mocenico, qui tum consilii Sapiens erat, consilia de Hispania invadenda ut probarentur, Senatui suadente; quem, dum ea de re consilium capiendum esset, in hanc fere sententiam loquutum ferunt.

Eo loco res bac tempestate sunt, Patres optimi, ut siullo unquam tempore virtute, ac prudentia vestra Respublica, cuius clavum tenetis, indigerit, hoc summopere egeat; cum, per tot annos attritis Italorum principum viribus, Respublica immensis exhausta sumptibus, impar fere ad imminentium rerum molem sustinendam videatur. Exantlanda denuo nobis ingentia pericula proponuntur; nova se rerum facies ostentat animo; majores bellorum turbines ante oculos obversantur, que armati adventus in Italiam Cæsar is nobis proculdubio portendit; exercitibus Italia replenda, Itale non modo gentes, sed externæ quoque, illuvie barbarorum buc immissa, nobis inspiciendæ sunt. Si Rex, ut Imperatori obsistat, Alpes transgressus in Italiam descendat, nonne renovari præteritas calamitates, campos, ac flumina exundantia sanguine cernimus? Jam aestus ille deferuerat, quo superioribus annis bellorum incendiis passim depopulari, atque ardere urbes, & oppida nobilissime provincie inspeximus: restinctus ille impetus, atque ardor visus, quo saepius acie certatum, tentatæ acerrimis oppugnationibus urbes fuere. Modo si ambo hi Principes in Italiam venerint, ingentibus stipati copiis, Germanis, Hispanis, Gallisque comitantibus, quem bellorum exitum, quem calamitatum, atque ærumnarum finem inveniemus? Acrius acuenda ferri acies, obstinationibus animis, vementioribus viribus depugnandum erit. In acie media ingentia victoriae præmia sita: a quonam victos, ac prostratos hostes mavultis? Incerti præliorum exitus sunt; ludit mortales fortuna; modo ab imo tollere; modo e vertice dejicere sueta: saepe magnos exercitus parva manu fusos & legimus ipsi, & audivimus; nihil incertius, aut fluxum magis certamine, ac pugna. Cæsare, qui haud mediocre copias in Italia,

1529  
Andreas  
Naugerius  
ad Galliæ  
Regem ora-  
tor.

Oratio  
Aloysii Mo-  
cenici.